

A. C.

DISSERTATIO MEDICA

Siftens

ÆGRUM LABORANTEM
SYNCOPE,

P R Æ S I D E

*Nobilissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo*

DN. GEORGIO WOLFF-
GANGO WEDELIO,

Med. Doct. & Theoret. Prof. Publ. & Ar-
chiatro Ducali Saxonico, S. R. Imp. Nat. Curios.

Adjuncto,

*Dn. Præceptore ac Promotore Studiorum
suorum omni observantia ac honoris cultu atatem
prosequendo,*

publicæ placidæque disquisitioni subjecta,

Ad d. April. Ann. M. DC. LXXXII.

IN AUDITORIO MEDICORUM,

à

GEORGIO Grundel/

Montano-Neofoliensi Hung.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS,

athol. spec.

30,58

mbispic 2734

SYNOPSIS

Med. Doct. & Theoret. Prof. Publ. & Ar.

Dr. Fructuosi de Fructuosis

GEORG WOLFF

LEIPZIG



PROOEMIUM.



Ini apud Mosynœcos reperti meminit *Xenophon l. 5. de expedit. Cyr. p. 354.* quod merum videretur propter austeritatem acidum esse; dilutum verò fragrans erat ac dulce,

Si historias spectemus medicas, ne de aliis dicamus, primo intuitu vilem sæpe ægrum, leve remedium offendere licet. Sed si scrutemur curatius easdem, usus insignissimus demùm elucet.

Videas hinc elici concinnè plurima, quæ illustrent causam remedii, æquè ac causam morbi, quæ certioribus hinc regulis firmari queant, quæ rejici, quæ alios cum primis doceant & exerceant in futuros usus.

Longum iter est per præcepta, autore *Senecâ*, breve & efficax per exempla. Plus ergò & viva vox ad praxin ducentis & convictus quasi cum ægris, quàm oratio prodest sola. Utque magnos viros non schola Epicuri sed contubernium fecit; ita & medicos facit non tam doctrina, quàm conversatio intimior.

Placuit in exempli vicem laudare & deducere historiam syncoptici, desperati quidem, sed gemino medicamento felicissimè curati, quod dum facimus, summum veneramur Numen, ut conatus bonè cedere jubeat.

HISTORIA.

Julvenis 26. annorum, temperamenti melancho-
 lici, sano corpore & vegeto, nisi quod gentilitio
 regionis scorbutico seminio laborare præsumi
 possit, præbibito Spiritus vini frumentacei haustu-
 lo, densiori aëre, circa Michaelis festum, urbe egre-
 ditur, cum alio socio suo; in loco quem petiverunt
 nullum sumere cibum, nisi quem ipse secum urbe
 extulerat, farcimen pinguius, caseumque, quem
 postquam uno alterove cerevisiæ poculo irrigave-
 runt, negotio confecto domum redit, nonnihil ta-
 men tenebrarum irruentium vesperi territus fictis
 insidiis. Sequenti die cum suis adstaret operibus
 mechanicis, maxima pectoris anxietate corripitur
 delubitò, eodemque momento turbatur caput, lin-
 guæ usus sistitur, ut, qui juvet, invocare possit ne-
 minem. Collapsus itaque jacuit semihoræ quasi
 spatio omnis sensus expers, sed quietus, absque tre-
 more & motibus convulsivis ullis, facie pallidus
 & uvidus circa frontem, sine respiratione sensibili,
 instar mortui, absque pulsu notabili. Eluctatus
 tandem quasi è somno ad se rediit, nullo ægritudi-
 nis relicto signo. Post sex hebdomades inter media
 opera eandem ludit morbus fabulam, lubinde ha-
 ctenus reditum accelerans, ut jam in alterum an-
 num

num

num singulis mensibus semel, bis, ter, corpus hoc modo infestatum fuerit. Remedia omnia per biennium ferè frustra adhibita, adeò ut velut fascinatus prognostico relictus sit. Petitur consilium.

Resolutio.

Affectum, quo æger noster laborat, SYNCOPEN, & ad symptomata actionis læsæ referendum esse, pronunciamus. Syncopen nominamus, recentioris ætatis recepto usu loquendi, quæ latiori quidem significatione etiam *ἐκλυσις* notat, levem exolutionem, vel lipothymiam, deliquium animi perfectum; strictiori verò lipothymiam fortiolem, seu tertii quasi gradûs, *λειποψυχίη* Hippocrati 7. aph. 8. dicta, uti quartum hinc *ἀσφυξία* signat, propinquâ ad mortem viâ. Idque colligimus

EX SIGNIS ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS, à subitaneo virium lapsu, animi defectione & sensus ac motus abolitione, dum mortui instar jacuit.

Idem colligere licet ex ESSENTIALITER CONSEQUENTIBUS, in *actionibus læsis vitalibus* respiratione & pulsu ferè abolito; in *animalibus ἀσφύξια*, capitis turbatione & aliis; in *excretis* sudatione frigidâ circa frontem; in *qualitatibus mutatis* facie pallidâ, & mortuo simili.

CAUSÆ prægressæ consentiunt, opinionemque nostram stabiliunt, inprimis scorbutica *Διάθεσις* & alia insequentibus latius nominanda.

SIMILITUDO quoque id confirmat, & quidem duobus modis (1.) ratione *Ægri*, qui antea in statu sanitatis sentiebat, movebatur, respirabat, actionibusque suis rite

fungebatur; nunc verò desubitò corripitur maximâ pe-
toris anxietate, sensus & motus pereunt, respiratio no-
tabilis nulla adest, & in momento quasi mortuus proci-
dit, ut etiam, qui juvet, neminem vocare possit, idque re-
petitis vicibus. (2) ratione *aliorum*; volumina Medico-
rum practica testantur affectum recensitis signis introce-
dere solitum, hunc ipsum esse. Vidimus alios quoque
simili modo affectos à nemine non, etiam ex vulgo, pro
lipothymiâ laborantibus habitos.

SUBJECTUM PRINCIPALE statuitur meritò cor,
spirituum vitalium officina, quorum influxu perpetuo
insitus partium calor ac spiritus in actum deducitur, qua-
propter cessante illâ actuazione & irradiatione lumino-
sâ ac calorificâ, ob prohibitum spirituum vitalium in-
fluxum, omnium partium vires collabi, actionesque ces-
sare necesse est. Quando verò cor nominamus, id unâ
cum sanguine, tanquam causâ sociâ, intellectum volu-
mus, impellens instrumentarium cum impulsis contentis.
Feriatur nempe & cor præcipuè in movendo, ut pulsus
ad sensum cessare videatur, nec scintillatio vitalis pro-
duci, *ὅθεν* spiritûs vivifici deficiente ac interpolatâ.

SUBJECTUM ADÆQUATUM est totum corpus,
quatenus per arterias & consequenter nervos quoque
spiritus influi ad partes non distribuuntur, sed restitant &
deficiunt, neque radios communicant, unde vires labas-
cunt, vel planè potius collapsum & prosternationem pa-
tiuntur.

CAUSA IMMEDIATA est Spirituum vitalium defe-
ctus & dispensatio in reliquum corpus sufflaminata, dum
eclipse quasi patitur flamma vitalis, instrumentaq; huic
operi dicata, arteriæ, ad sensum non pulsant, indicio mani-
festo

festio, sanguinem in motu suo & ἐκλάμψει esse turbatum, nec legitimè evolvi, rarefieri & didi in universa totius corporis vasa & poros. Est in corde fermentum seminale, seu vis immutativa & multiplicativa, quâ tum chylo, tum sanguini venoso refluxo à partibus, & spiritibus velut orbo, novum characterem imprimit, ut denuò atque in circulum ad partes vis nova & vigor spirituosus sanguinis per arterias adducatur. Per mechanicam id illustrari potest tum ignis exemplo, qui summâ suâ pernitate obvia sulphurea ex objectis elicit, caloremque & flammam hoc ipso perpetuat; tum aceti, quod vinum, successivè infusum, fermento suo seminali immutat, sicque multiplicativum sui est.

CAUSA ergò MEDIATA PROXIMIOR, seu materia defectum hunc spirituum causans & destruendi vi polens, quoad ESSENTIAM sunt humores in corpore *quantitate & copiâ* non mediocres, *qualitate* verò potissimum acidi, viscosi, pituitosi cum sanguinis undis commixti, eundem concentrantes, ut in corde, tanquam fonte, ob particulas acidas, fixiores, coagulantes & figentes, in tono suo deficiat, fibris ex ordine motis grumescat, viriumque lapsus desubito succedat. Acidum peregrinum & viscidum exuperans obtundit sulphur vitale, figit sal volatile sanguinis, unde fermento illi seminali quasi pausa quædam inducitur, vitali micanti luculæ velut deliquium, majus vel minus, donec eluctante archéo superetur & vincatur, tum proprio nisu, quo resistit materiæ morbosæ, tum adjuto externâ ope.

Cum ergò quod apoplexia est in sanctiori regimine, id in regiâ microcosmicâ sit syncope, meritò & hîc causam adscribimus non simplici intemperiei, sed obstructioni, seu

grumescentiæ, non extus quidem repagulis oppositis, sed intus consurgentibus in hydraulicis cordis concamerationibus. Rectè hinc *Rolfincius*, subitaneus, ait, insultus syncope notat eam non fieri ab intemperie, quæ tam subito accedere & recedere nequit, sed à conformatione. *Ord. & meth. comm. p. 154.*

Flatus etiam, ob cibum ingestum quantitate & qualitate peccantem, grossiorem, in ventriculo & intestinis generati & collecti, postmodum cum chylo ad cor delati, non huc videntur non spectare posse.

Motus autem, quo peccat materia morbifica, duplici modo potest considerari, *generationis vel localis*. Non generata est materia peccans in ipso loco affecto seu corde, per *συναρτησιμὸν*, ob facultatem læsam; sed *extra locum* tum *vitio totius* à cacochymia biliosa, acidâ, scorbuticâ, tum *partium determinatarum*, hepatis, lienis, pancreatis, & reliquis depuratoriis visceribus malè dispositis, & fermentis suis deficientibus, unde congesta per influxionem eò delata in momento quasi figit spiritus. Imò & ventriculus ipse plurimum confert sine dubio, quatenus ab assumptis cibis illo expanso eliquatur quidem magis è glandulis miliaribus, sed minus commodum, menstruum à lymphâ acidiori. Singula hæc partis mandantis titulo venire queunt. Interim cor seu pars affecta & recipiens, ob malam & debilem constitutionem, seu spirituum non tam connatam quàm acquisitam texturam, minus firmam, facilius huic injuriæ extraneæ vacavit.

Sylvius effervescentiam vitiosam succi pancreatici & biliosi accusat, unde halitus peregrini acidi exurgentes massam sanguineam deturpant & concentrant.

Harveiani sanguinem fixatum incusant. *Tacheniani*

ni

ni acidi & alcali vitia; *Chimici* alii ξ ium coagulatum; alii aliis gaudent hypothefibus.

Causam porrò mediatam proximiorẽ sequuntur REMOTIORES, & quidem ex NATURALIBUS TEMPERAMENTUM FRIGIDUM & SICCUM, feu Melancholicum, quod fatis aptum natum est ad cruditates adaugendas, & flatus copiosos, maximè qualitate peccantes, ob debilitatem caloris infiti, progignendos, qui proinde ad cor delati, variis, inprimis terrestribus & acidis particulis imprægnati, non potuerunt non hunc ipsum affectum simul producere. Maximè verò ex hujus consideratione patet, sanguinem magis ad concretionem & grumescentiam aptum esse.

ÆTAS juvenilis etiam huc referri potest, quæ agilem aliàs quidem maximè sanguinem progignit, attamen vitiis & erroribus diætæ variis visceribus, sanguini, & sanitati facilè labem affricat.

EX NON-NATURALIUM numero primo loco se offert AER autumnalis, in quo æger noster versatus est, frigidior, asperior, densiorque, quippe qui poris claudendis, concentrando sanguini & coagulando sero aptior est, tum ambitu suo, quo glandulis subcutaneis se ingerens characterem sui humoribus vitalibus fœnerare potuit, tum inspiratione fracidas, nebulosas atomos cum pulmone communicando, & mediante hoc ad ipsos cordis thalamos aditum affectans.

Victus ratione ægrotus peccavit, tum quoad cibum, tum quoad potum. CIBUS inprimis peccavit qualitate, pravi succi & difficilis coctionis, qui scilicet fuit farcimen pinguius & caseus. Hi cum ratione substantiæ sint $\delta\upsilon\sigma\alpha\sigma\tau\epsilon\tau\iota\sigma\iota$ $\eta\epsilon\iota\ \delta\upsilon\sigma\upsilon\mu\omega\iota$, non potuerunt non huic affectui ansam præbere.

B

bere.

bere. Accedit victus in genere grossior, quo sine dubio usus est continuò.

POTU peccavit, cum prius, quàm urbe egressus, usus est spiritus vini frumentacei haustulo, unde subsequo motu rarefactus fuit sanguis, serumq; exhaustum magis; adeoq; tantò magis hinc coagulum intentare potuit terror, quò periculosior ab uno extremo ad alterum fit naturæ mutatio. Deinde etiam deliquit, quod farcimen & caseum devoratum, uno alterove cerevisiæ poculo irrigaverit, hincq; excessu peccans facili negotio ad cruditatem inducendam ventriculo disposito viam sternere potuit. Qualitate etiam potuit potus ipse peccare, quatenus feculentus, acidus, aliisque vitiosis inquinamentis fuit imprægnatus.

Ad causarum numerum porro MOTUM spectare non dubium est, quatenus statim post cibum ingestum institutus fuit nimius: præcipitatus namque chylus crudus ex ventriculo, distributusque per omne corpus, (quod vitium primæ coctionis vix corrigi potuit secundâ & tertiâ) humores flatusque acidos procreando, facile huic ipsi affectui pondus addere potuit.

Inter ANIMI PATHEMATA præcipuè hinc accusari meretur TERROR & consequens metus & tristitia, quod æger noster, cum domum rediit, tenebrarum irruentium vesperi territus fictis sit insidiis. Cum autem notum sit omnes animi perturbationes vim suam exserere in sanguinem & cor ipsum, nullum dubium est, maximam inde in M. S. & totum corpus redundasse mutationem. Terrore enim subito concentratur sanguis ad cor, ibique accedente metu & tristitiâ stagnat, turbatus in circulo, & præsertim in corpore cacochymico & disposito facile coagulatur, gru-

gru-

grumescit & figitur, quod in nostro quoque ægro accidisse tum anxietas, quâ ipse correptus est, tum alia sufficienter satis demonstrant.

EX REBUS PRÆTERNATURALIBUS potissimum memorandus scorbutus latitans, tum ex victu ordinario, tum ex loco, endemium in modum hanc labem fovente, tum à posteriori hoc ipso effectu deprehendendus, qui sanè vel solus aptus natus est, ceu hydra lernæa, ad hoc quoque malum producendi.

Symptomata hinc ex tam copioso causarum numero producta & loco signorum allata in historiâ jam rationem sui postulantur.

1. *Anxietas pectoris* deduci potest vel à præcordialium nervorum stricturâ, unde diaphragma in motu suo impeditur; vel à sanguine viscoso & grumoso circa cor restagnante, quo facto & sororiantes in officio circulationis sanguinis pulmones in munere suo fatiscunt, & in iisdem circulatio particularis sufflaminari cœpta hoc ipso universalis mox cessandæ indicium præbet.

2. *Perturbatio capitis* labascentibus debetur spiritibus animalibus, à primigeniâ flammæ vitalis luce & foco non satis irradiatis, unde stationes suas deserunt & confuse nutant.

3. *Uusus linguæ abolitus est* ab inhibitione influxus spirituum animalium ad nervum septimi paris, ob motum cordis suppressum influxum hunc spirituum impedientem, unde illo motore destituta lingua haud potuit in subsidium corporis necessarium solvi.

4. *Prostratum corpus instar mortui, quietum recubans* ecclipsantem archæum & spiritus vitales juxta ac sanguinem in motu suo ad extra interpolatos pro causâ agnoscit,

B 1

unde

unde reliqua machina, non vigorata spiritu intus agente, corruit.

5. *Tremor tamen & motus convulsi vi nulli visuntur*, quod non tam irritati & primario affecti sint spiritus animales, quàm depressi, & vitalium regimine deficiente, non pandentes cerebri valvas, nedum laceffentes.

6. *Facies pallida* provenit à recurso spirituum vitalium seu sangvinis versus suum principium, cor scilicet, quapropter necesse est, inde partes exteriores pallefcere & ζωλιχόν in primis faciei ἀνδρῶν dispalescere.

7. *Sudor frigidus* circa frontem ab imbecillitate naturæ & totius compagis, dum succum alibilem serosum glandulæ subcutanæ ob spirituum resolutionem nequeunt retinere, exoritur.

8. *Respiratio tandem ad sensum deficit*, ob sufflaminatum rarefaciendi & vigorandi in torulis cordis sangvinis pulsus, unde externa causa, aëris pressio, deficiente internâ, ventilabra agitare sola nescit.

Quoad **PROGNOSIN SALUTIS & MORTIS** periculofissima aliàs est syncope, & magna tam ratione essentiali, quàm partis principalis affectæ.

Ratione essentiali, quod ex diris symptomatibus licet colligere, præprimis ex maximâ anxietate pectoris, sudore frigido circa frontem, & respiratione ferè abolitâ.

Ratione partis principalis affectæ seu cordis; cor enim vitæ fons est, quo perturbato non aliter fieri potest, quin etiam patiantur rivi & œconomia tota, quæ inde vitalitatem expectat: unde primo intuitu argui posset, ægrum oneri succubiturum, cum syncopen è medio tollere & in scholis medicis sit notissimum, & mortis sororem esse. Nihilominus tamen, cum tot paroxysmos sustinuerit indemnes,

demnes, cum non tam fortis sit & ultimi gradus, cum magis per consensum quàm per essentiam invadat, æger sit juvenis & alia concurrant, benè illum sperare jubemus.

Neque LONGUM adeò fore morbum pollicemur, licet hæctenus incassum adhibitis variis, de quibus nostrum non est judicare, modò æger obtemperaverit per omnia. Nullibi enim promptius auxilium arripit archeus, quàm quando ad incitas quasi redactus videtur ab externo hoste, insurgens facilè & pro salute suà vigilans.

MODUM EVENTUS designamus discussionem peregrinorum illorum miasmatum, quæ fibras massæ sanguineæ ex ordine dimovere consueverunt, & correctionem hujus fontis salini, coagulationis principii.

CURATIO ex legibus methodi medendi tribus nititur principalibus indicationibus, CURATORIA scilicet, quæ symptomati ipsi, h. l. maxime urgenti; PRÆSERVATORIA, quæ causæ foventi; & VITALI, quæ viribus opem fert.

CURATORIAM quod spectat, indicat affectum ipsum tollendum esse, satis atrocem, in paroxysmo ipso, jubet excitare labascentem archeum, ut quæ destituit, iterum vegetet membra, sanguinem item grumescentem in motum citare, rarefactionem eidem debitam restituere, spiritus dispersos colligere, & roborare, unaque cum VITALI INDICATIONE viribus, vitalibus maximè, reparandis & conservandis operam dare.

In Paroxysmo ipso æger excitandus, capillos vellicando, vociferando, corpus agitando, nares comprimendo, digitosque contorquendo. Applicentur naribus odora-
menta calida, nec non inungantur tempora, nares, os & pulsus, carpique balsamo apoplectico. Aspergi potest

B 3

aqua

aqua frigida, rosacea, ☩, aliaque præstanda, quæ paulò post uberius proponemus ex confortantium & analepticorum classe.

Extra paroxysmum INDICATIO PRÆSERVATORIA locum habet, jubens ut radix mali extirpetur, fermentum morbosum non generetur amplius in corporis cohabitibus, generatum verò educatur & corrigatur, quò finis optabilis & salus ægri constans consequi possit.

His autem satisfiet materiis præsidiorum desumptorum ex triplici fonte; Chirurgico, Pharmaceutico, & diætetico.

Ex CHIRURGICO fonte primo loco se offert VENÆ SECTIO, de quâ quidem an institui debeat non immeritò dubitari posset, cum vires prostratæ & ferè exhaustæ videantur & abstinere magis quàm progredi nos jubeant. Verùm quia hic virium prostratio ista & debilitas non à resolutione, sed magis oppressione orta, & sanguis, ad grumescentiam inclinans & motum vitiosum, evacuatione quoque providâ vigoretur, ventileturque, non videtur contemnenda, ideoque & nostro eam admittimus, modò cautela hæc observetur, ne majori pondere effundatur sanguis, & postmodum depressio magis quàm refocillatio subsequatur; idque in progressu magis, roboratâ prius naturâ.

Tundi itaque potest mediana vel basilica dextri brachii, vel salvatella saltim, & sanguis ad ℥ij. vel iij. emitti. Sin id reformidet æger, in pedibus cephalica vel pollicaris secari potest.

CUCURBITULIS etiam uti possumus loco Venæ Sectionis, scapulis adhibitis, seu cum scarificatione, quippe quæ sanguinis motum promovent, revellunt & humores vitiosos evacuant; seu sine illâ. Alii quoque, dominante causâ frigidâ,

gidâ,

gidâ, easdem cum scarificatione regioni cordis applicatas magnificiunt ; uti de eâ præprimis mentionem fecit *Zac. Lusitanus in Observat.* id quod potiori jure omittendum ducimus.

FRICTIONES quoque, quatenus extimam vestem laxiorem & perspirabilem magis reddunt, & prohibent, quò minus inutiles humorum coitiones in corpore coacerventur, & ad excitandum archeum maximo commodo commendantur.

Ex altero fonte, seu PHARMACEUTICO, primo intuitu se sistunt LENIENTIA, flatu & ejus matrem discutientia, acidum corrigentia & alvum leniter subducentia. Talia esse possunt sequentia.

Rx. elect. lenit. ℥℥. Ræ Fri ℥j.

▽ *card. benedict. borrag. bugloss. an. ℥j. M. F. potio.*
S. Lind-Träncklein.

Rx. elix. Itis laxat. ℥ij. Ræ Fri ℥j. M. Dos. gtt. 20. 30.

Rx. M. Fear. Schröd. ℥j. extr. aloes ℥℥. Öl. ꝯ. gr. iij.
c. *elix. antiscorb. f. q. F. l. a. pilul. S. Lind-Pillen.*

Rx. M. aloet. ℥℥. extr. gialap. gr. iv. croc. ꝯ. sacch. gr. iij.
c. *elix. propr. antisc. f. q. F. l. a. pilulæ S. u. f.*

Lenitis primis viis opus est, ut PRÆPARANTIA materiam ipsam peccantem, in corpore latitantem, ad faciliorem exitum disponant; cumque materia non solum quantitate, verum & qualitate dicta sit peccare, censemus præparantium usum per aliquod tempus esse continuandum. Hunc in finem

Rx. ▽ a scorzoner. atac. bugl. scorbut. polycbr. an. ℥j.

~ *aperit. Penot. M. S. an. ℥ij. sir. sceletyrb. Forest. ℥℥.*
M. S. Præparir-Träncklein.

Rx. Ræ ꝯis cydon. c. cochl. fact. arcan. ꝯ. M. S. ana, ℥j.
M. S. Blutreinigende Mixtur.

- ℞. *spec. diarhod. Abbat.* ʒj. *croc. ꝑ. aperit. c. Sib.* ʒʒ.
 ꝑ. *stomach.* ℥. ʒj. ꝑ. *cinam. gt. ij.* M. F. Pulv. S. öffnend
 Pulver auff etlichmahl.
- ℞. *pulv. cacbeēt.* ℥. ʒj. *spec. diatr. sandal.* ʒʒ. *diamarg. fr.* ʒj.
 ꝑ. *diaph.* ʒʒ. *elaosacch. citr.* gr. x. M. Fiat Pulvis.
- ℞. *conf. cochlear. bugl. fumar.* an. ʒʒ.
 ꝑ. *diatr. sandal. diarhod. Abbat.* an. ʒj.
 ℞e *Coral.* ʒj. M. c. *fir. fumar. F. l. a.* Electuar. S. Blutreini-
 gende Latwerge.
- ℞. *rad. polypod. scorzoner. ꝑ. aper.* an. ʒj.
herb. meliss. mj. chamadr. card. ben. veronic. an. mʒ.
summit. fumar. cent. min. an. piij. *fl. 4. cordial.* an. pj.
sem. anis. foenic. an. ʒj. *cort. tamarisc.* ʒij.
schœnantb. ʒij. *lign. aloes, sandal. flav.* an. ʒʒ. Concis.
 contus. g. m. S. Species zum Digestiv-Wein.
- ℞. ℞e *ꝑ. balsam. elix. antiscorb.* an. ʒj M.
- ℞. *M. S. antiscorb.* ʒij. *liqu. ꝑ. g. vj.*
extr. rad. trifol. fibr. fumar. an. ʒʒ. M. D. in vitro.

Progredimur porrò, humoribus per aliquod tempus præparatis, ad PURGANTIA, ut materia peccans præparata eò aptius educatur; locum autem inveniunt purgantia vel *ἀνω* vel *κάτω*.

Ἀνω quæ purgant, sunt vomitoria, quæ hîc loci maximè videntur convenire ob humores pituitosos lentos, viscidos, cruditatemq; acidam in ventriculo contentam & restagnantem, quæ nisi expurgentur, sed diutius asserventur, facili negotio malum fovere, augere, aliaque plura mala dare possunt. Proinde de illis neutiquam dubitantes, commendamus exempli in vicem sequentia.

- ℞. *rad. asar. Ol. alb.* an. ʒʒ. *elaosacch. anis.* gr. vj. D. ad chart.
 S. Brech-Pulver.
- ℞. *croc. metall.* gr. vj. *vin. rhenan.* ʒj. stent per ꝑ, mane colatura
 detur cum regimine.

℞.

℞. *conserv. ros.* ℥j. *℞ri emet.* ℥r. ij. *o.* *cinam.* gr. ℞.
sacch. parum. M. F. l. a. bolus.

℞. *fol. asar. n.* vij. *rad. raphan.* ℥℞.
sem. aneth. ℥j. Coq. in l. q. ∇ l. colat. ℥ij. add.
oxymel. squill. sir. de peto an. ℥iij. M. F. potio.

Sin purgantia *uā* seu per inferiora stimulum suum,
 exerentia videantur magis ex usu,

℞. *pulv. laxat. veget.* gr. xxv. *crystall.* ℞. gr. v.
o. *citr.* gr. j. M. F. pulvis. D. in ch. S. Purgier-Pulver.

℞. M. ℞. *Schröd. extr. cathol. Andern. an.* ℥℞.
res. scam. gr. v. *o.* *anis.* gr. j. M. c. *℞ri* F. l. a. pil. D. in
 pyx. S. Purgier-Pillen.

℞. *mag. gialap. scammon. an.* gr. viij. M. *aloet.* g. v.
o. *anis.* gr. ij. c. *elix. propr.* l. q. F. l. a. Pil. S. ut l.

℞. *rad. s. aper. an.* ℥℞. *rhab. Alex.* ℥ij. *fol. fenn. s. s.* ℥℞.
fl. 4. cord. an. p. ij. sem. anis. ℥j. *cort. citr. cinam. an.* ℥ij. M.
 concis. contus. g. m. D. in chart. S. Laxier-Species.

DIAPHORETICA quoque huc referenda, quæ maxi-
 mē conveniunt, quatenus ea, quæ relicta vitiosa in corpo-
 re, absorbent atque educunt per poros, unā vero in ordi-
 nem maximē redigunt M. S. peregrinis discussis hospiti-
 bus, ut in alveis suis imperturbata provolvi & cum omni-
 bus æqualiter partibus communicari inoffenso pede possit.

℞. *℞e bez. Mich.* ℥i℞. *℞ii* ℥j. *anodyn.* gr. vj. M. in vitra
 S. Schweißtreibende Tinctur.

℞. ∇ *cardui bened. namph. typhor. cerv. an.* ℥j.
cinam. borrag. ℥℞. *℞ci* ℥j. *℞ duplicat.* ℥℞.
sir. citr. parum. M. F. potio.

℞. *rob. ebul.* ℥j. *bez. Sal.* gr. xv. *mag. perlar.* gr. v. M. c. *sacch. l. q.*
 F. l. a. Bolus.

℞. *℞. diaph. C. C. Phil.* an. ℥℞. *lap. bez. or.* gr. iij. M. F. pulvis.

DIURETICA ex usu esse queunt tum aperiendi fine,
 quò amurca venarum scorbutica leniter corrigatur, tum

C

edu.

educendi, ut unà correcta per vias urinarias excludatur. Serum verò defecatum hoc pacto quoque connubium cum sanguine novum inibit, & minus hinc grumescencia, mali unica causa, timenda erit.

℞. *Re aperit. Moeb.* ℥ij. D. in vitr. S. öffnende Tinctur.

℞. *Re silic. Glaub.* ℥ij. D. in vitr. S. u. f.

℞. *clyff. Si sat.* ℥iij. D.

℞. *mag. oc. S. succin. pp. ~ coagul. an.* ℥j. M. F. pulvis.

Excipiunt hæc ALTERANTIA specifica & ROBORANTIA cordialia, spirituosa & absorbentia, quæ complementum curationi & intentioni addent, eaque tum interna, tum externa, v. g.

℞. *spec. cord. temperat. diamarg. fr. de hyac. an.* ℥ß.

mag. perlar. corall. an. ℥ß. *lap. bez. occ. g. vij.* M. F. l. a. pulvis.

D. in Scat. S. Herk Pulver.

℞. *conf. melis. borrag. bugloss. conf. alkerm. comp. an.* ℥ß.

spec. diamb. diarrhod. abb. arom. ros. an. ℥j.

perlar. pp. ℥j. sir. corall. q. s. M. F. l. a. Elect. S. Stärcklatwerge.

℞. *△ cinam. c. vin. fl. borrag. cord. cerv. an.* ℥iß.

meliss. c. vin. cord. Sax. fr. an. ℥j. *conf. alkerm.* ℥iß.

perlar. pp. ℥ß. ~ rosar. ℥j. sir. corall. perlar. an. ℥iij. M. D.

in fictil. S. Herk Träncklein.

℞. *Re corall. c. ~ cord. cerv. elix. propr. alb. Helm. an.* ℥iß.

ess. ambr. gt. vj. M. D. in vitr. S. Herk mixtur.

℞. *Re propr. Myns.* ℥ß. D. in vitr.

℞. *Opotab.* ℥j. D. in vitr.

℞. *℥ analept. Minderer. absorb. Wedel. an.* ℥j. M. div. in 6. p. æ.

D. in chart. S. Herk Pulver.

℞. *pulv. bez. Senneri. c. pretios. ℥j. magist. perlar.* ℥ß.

fragm. lap. s. pret. an. g. v. M. F. pulv. S. ut f.

Pro usu EXTERNO etiam commodè confortantia & reficientia in usum trahi possunt.

℞. *bals. apopl.* ℥ij. M. D. in pyx. S. Eiserlicher Balsam.

℞.

R. ∇ anhalt. carf. aur. an. ʒʒ. ~ * ʒ . D. in vitr. S. Eiserlich
Anstreich-Wasser.

R. spec. pro epib. cord. de gemm. fr. cord. temp. an. ʒj.
ambr. campb. an. gr. iij. M. consuantur in sind. rubr. in formā
cordis. S. Herb. Säcklein.

Tandem concludimus cum fonte DIÆTETICO, maxi-
mè ægro commendando. In DIÆTA VITALI AER sit
purus, serenus, nullis vitiosis miasmatibus seu vaporibus
contaminatus, & temperatus. Calidus anxiosus est & ἀσλυ
facilè citare syncopticam potest. Frigidus & liberior affla-
tu suo spiritus abituros & sudores compescere solet. Vi-
dendum ergò quid æger ferat magis. Imminente paroxy-
simo, mutare eundem consultum est.

In NATURALI CIBUS debet esse εὐχυμῶς & εὐπεπῶς, tempe-
ratus, boni succi. Condiri etiam pro meliorum spirituum
generatione potest aromatibus, mace, croco, cinamomo,
caryophyll. &c. contra ea vitentur cibi frigidi, flatulenti,
crassi, viscidi, concoctu difficiles, muriati, fructus hora-
rii, legumina & similia &c. Victus etiam quoad tempus
nvasionis potest esse parcus, nutriens tamen, ut juscula ave-
nacea, ova sorbilia, brodium de carne bubulâ, gallinaceâ.

POTUS sit purus, crevisia probè defecata & lupulo benè
condita. Vinum etiam potest concedi πολυφώρον, quippe
quod non solum nutrit, verum etiam vires restaurat & re-
focillat promptissimè.

In ANIMALI MOTUS & QUIES justis tempe-
rentur mensuris. Motus magis convenit ante cibum, qua-
tenus scilicet calorem internum ventilat & archeum ven-
triculi ad meliorem concoctionem invitat; post cibum au-
tem statim institutus coctionē destruit & cruditates causa-
tur, quatenus calor internus ad externas partes evocatur.
Quies debita etiam non negligenda; quia quod caret alter-
nâ requie, durabile non est.

ALVUS

ALVUS quotid. respondeat suo officio. VENUS devitetur, donec morbus debellatus fuerit. ANIMI PATHEMATA rationis freno moderetur; iram, metum, tristitiam terroremque cane pejus & angue vitet, omnisque curæ expers vivat, *εὐθυμίας* cordi habens hominibus boni moris se associet, hilari conversatione oblectet, ipsumque, quoad quidem natura concessura est, hilarem se gerat.

Pereximie Grundeli,

Legans *Iustini martyris* de naturâ locus est, *μιμείται, inquietis, πηγῶν, ἢ συνεχέστερον ἀντὶ λειψῶν, διειδέσθαι προχει τὰ νάματα,* imitatur fontem, qui quanto hauritur magis, tanto limpidiores profundit aquas. Verum id esse comprobas exemplo Tuo, qui, non contentus uno solo auditu, & ruminas digerisque animo avido hausta, & lustras sic penitus veritatem, atque arcana naturæ. Cum de transmutatione ferri in cuprum me differentem audires, non quievit curiosus animus, donec ex patrio solo unguam ferream geminam, inchoamentum & progressum *μεταμορφώσεως* ostendentem, indeptus meis rarioribus inferres, addito exemplo plenariè immutati martis & ipsius cupri inde confecti optimæ notæ, nec minus integrâ descriptione, illam illustrante, quam olim è rarithecio Ducali Gothano publici feceram juris. Idem Tuum studium elucet ex Disputatione, quam exponis ventilandam. Laudare ergò id non dubito, indeque ominari successus invidendos, quos à divino numine animitus precor. Dab. è museo Jen. Non. April.

PRÆSES.

F I N I S.